



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,  
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia  
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae  
aliquot piaë, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

**Haimo <Altissiodorensis>**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1551**

**VD16 H 222**

Maria Magdalene & Maria Iacobi Marci 16.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39335**

# D·HAYMO

NIS EPISCOPI HALBERSTAT.

homiliarum siue concionum ad  
plebem, pars ætina.

IN DIE SANCTO  
Paschæ, Marci XVI.

In illo tempore, Maria Magdalene & Ma-  
ria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, ut  
uenientes ungerent Iesum. Et reliqua.



COMMENDAT nobis hæc sa-  
cratissima lectio, sanctarum mulie-  
rum deuotionem, commendat &  
angelorum apparitionem: & quod  
his maius est, dominicam resurrecti-  
onem. Sed cuncta per ordinem ui-  
deamus. Ait enim euangelista: [ Maria Magdale-  
ne &c. ] Prædictæ namque mulieres, ut Lucas euan-  
gelista commemorat, a Galilæa dominum secutæ Luc. 8.  
fuerant, de suis substantiis ei ministrantes: quia lici-  
tum erat apud Iudæos, nec ducebatur in culpam,  
ut mulieres prædicatoribus de suis facultatibus ui-  
ctum & uestitum ministrarent. Quam consuetu-  
dinem tenuerunt apostoli post domini resurrecti-  
onem uel ascensionem, quod apostolus Paulus pro-  
bat, sed ipse propter uitandum scandalum inter gen-  
tes hac consuetudine uti noluit, dicens: Nunquid 1. Co. 9.  
non habemus potestatem sororem mulierem cir-  
cunducendi, sicut & cæteri apostoli & fratres do-

A.

mini, & Cephas (Cephas Syriace, Latine dicitur Petrus) ac si diceret, Habemus. Et in Actibus apostolorum de ipsis apostolis legitur: Hi omnes erant unanimiter perseverantes in oratione cum mulieribus & Maria matre Iesu. ¶ Sed mulieres quæ dominum secutæ fuerant, uidentes eum comprehendi, ligari, flagellari & crucifigi, discipulis (qui dicebant prius, Eamus & nos, ut moriamur cum illo) fugientibus, ipsæ cum eo remanserunt: & sic impletum est tempore dominicæ passionis, quod olim per beatum Iob in eius persona dictum fuerat: Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Quasi enim consumptis carnibus, pellis ossi adhæserat, quando discipulis fugientibus, mulieres cum domino perseverabant. Sed quæ arctius eum uiuentem dilexerant, nec a mortuo separari poterant. Nam uidentes eum sepeliri, sedentes contra sepulchrum, ut euangelista refert, nota uerunt locum, ut abeuntes emerent aromata: & illa nocte, quantum potuerunt, unguenta præparauerunt: sabbato autem, secundum mandatum legis, siluerunt. Occidente uero sole, quod supererat in præparandis unguentis desudauerunt. Mane autem prima sabbati, antequam illucesceret, cum præparatis aromatibus ad sepulchrum uenerunt, cupientes eius sacratissimum corpus saltem mortuum ungeri, quem uiuentem nimio dilexerant amore. Et hoc est quod Marcus ait, [Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata &c.] Et pulchre mulieres uno nomine censentur, ut quibus una erat uoluntas, parque desiderium, unum esset & uocabulum. Qua-

Ioh. u.

Actu. i.

Iob. 19.

PASCHAE.

rum nomlnum distinctionem, euangelica lectio ostendit per adiectiua nomina, cum ait: Magdalene, Jacobi, & Salome. ¶ Maria Magdalene a Magdalo dicta est castello. ipsa quoque soror fuit Lazari, quæ quondam (ut Lucas narrat) peccatrix in ciuitate fuit: sed quia dilexit multum, dimissa sunt ei peccata multa. ¶ Maria Jacobi, a filio suo Iacobo dicta est, q̄ matertera fuit dñi, id est, soror matris, & mater Jacobi & Ioseph. ¶ Maria Salome, uel a uico, uel a uiro dicta est. Tradunt enim eam habuisse duos uiros, Cleopham scilicet & Salomam. ipsam uolunt esse, quæ alibi Maria Cleophe appellatur. ¶ Maria autem Syriace, nobiscum stella maris, siue domina interpretatur. Significat uero ecclesiam, quæ in medio nationis prauæ & peruersæ lucet, tanquam luminaria in mundo. uerbum uitæ continens. Quæ significatio, quæ dei genitrici spiritaliter congruat, per cuius partum uirginem sol iustitiæ mundo resplenduit, tñ & istis potest congruere. quæ cum aromatibus ueniens ad se pulchrū, primū splendore dñicę resurrectionis mundo nuncia uerunt. ¶ Mystice autem, per has deuotissimas mulieres, sancta ecclesia designatur, q̄ rum nom̄ interpretatio recte illis congruit. Magdalus uero, a q̄ Maria Magdalene dicta est, ut diximus, turris interpretatur, & significat ecclesiam. Turris quippe nō solum sublimior, sed etiā tutior domus est, nō facile hostib⁹ patēs: ac per hoc ecclesiā significat, q̄ & terrena deserit, & celestia desiderat, pugnas inter spirituales neqtias, quotidie sibi auxiliū a deo de supernis postulando, ut antiqui hostis infidias superare possit: fortitudinemq; suam non sibi, sed domino committit, orans cum propheta: Esto- Luc. 7.  
Ioh. 19.  
Psal. 69.

A ij



in tantū, ut suauitate delectat⁹ rex dicat: **Q**uę ē ista **Can. 4**  
 quę ascēdit per desertū, sicut uirgula fumi ex aro  
 matibus myrrhę & thuris, & uniuersi pulueris pi- **Can. 11**  
 gmetarū: Cui sancta anima nihil de se, præsumēs,  
 ait: Trahe me post te, curremus in odorē unguen-  
 torum tuorū. Quasi enim aromata emimus, quę  
 ad sepulchrum defera mus, quando ingressuri ec-  
 clesiam ad orationem, nostras conscientias a sordi-  
 dis cogitationibus emundamus, dicentes cū **Psal. 107**  
 propheta: Paratum cor meum deus, paratum cor me-  
 um, cantabo, & psalmū dicam domino. ¶ Illę er-  
 go mulieres angelos uident, quę cum aromatib⁹  
 ad sepulchrum ueniunt: quia illę animę ad cōsor-  
 tium angelorum pertinēt, quę cum opinione bo-  
 ni operis, assiduitatē habent orationis. **2. Cor. 1.**  
 Talis erat ille qui dicebat: Christi bonus odor sumus deo in  
 omni loco. Imitemur ergo & nos eadem sanctas  
 & deuotissimas mulieres, ut sicut illę cum aroma-  
 tibus dominum toto desiderio quęrebant in se-  
 pulchro, quod est proprius mortuorum locus: ita  
 & nos, non in sepulchro, sed cum aromatibus, sci-  
 licet orationibus, toto affectu mentis quęramus  
 eum in cælo, quo ipsum ascendisse nouimus. [ Et  
 ualde mane una sabbatorum ueniunt ad monu-  
 mentū, orto iam sole. ] ¶ Hic inquirendum est, qua-  
 re itte euangelista dicat. Et ualde mane una sabbat-  
 orum, ueniunt ad monumentum: cum **Matthæ-**  
 us describat, Vespere autem sabbati, quę lucefcit **Mat. 28**  
 in prima sabbati, uenit Maria Magdalene & alte-  
 ra Maria uidere sepulchrum. Ad quod prudens le-  
 ctor facile respōdere potest, quia uoluntate & de-  
 siderio mentis uespere (sicut Matthæus dicit) ueni-  
 re cōperunt, sed tenebris noctis impediētib⁹, se-

**Mat. 28,**

cundum Marcum ualde mane corporaliter ad do-  
mini sepulchrum peruenerunt. certe cum Mat-  
thæus ait, Vespere sabbati quæ lucefcit in prima  
sabbati, uenerunt uidere sepulchrum, a parte no-  
ctis qua uenerant, totam noctem intelligere uo-  
luit: quia ufus fcripturæ eft, aliquando a parte totum  
fignificare. Sed ut lucidius & a peritius intelliga-  
tur, sciendum eft quia ficut habet dies uesperam,  
ita & nox. Hoc tamen inter utrunq; diftat, quia  
uefper diei tenebrefcere confueuit in noctem, ue-  
fper autem noctis lufcere in diem. ¶ Vi ergo Mat-  
thæus non uefperam diei, fed noctis defcripfit fe-  
cendifceret, poftquam dixit, uefpere sabbati: a die  
cit, quæ lucefcit in prima sabbati. & ideo unum  
idemq; eft quod Marcus ait, ualde mane: & quod  
Matthæus dicit, uefpere sabbati. In domini namq;  
refurrexione, etiam ipfe ordo temporis mutatus  
eft. Ab initio enim feculi ufque ad domini refurre-  
xionem, dies præcedebat, & fequebatur nox: a do-  
mini uero refurrexione, nox præcedes, ad fequen-  
tem diem pertinet: quia qui in huius noctis ulti-  
ma parte a mortuis refurrexit, ipfam noctem luci-  
dam atq; corufcam reddidit, & quodam modo in  
diem cõmutauit. de qua fcriptum eft: Et nox fic-  
ut dies illuminabitur. Et iterum: Et nox illumi-  
natio mea in delicijs meis. ¶ Et apte quondã dies  
præcedebat noctem, quia primus homo a uera lu-  
ce difcedens, in tenebras erroris incidit. Aptè eti-  
am nunc dies noctem fequitur: quia per domini  
refurrexionem de tenebris erroris liberati, ad ue-  
ram lucem conuerfi fumus, ficut ait Apoftolus:  
Nox præceffit, dies autẽ appropinquauit. ¶ Iterũ  
autem contrarium fonare uidetur quod Marcus

**Pfal. 136**  
**Ibid.****Rom. 12**

ait, [Veniunt ad monumentum, orto iam sole:]  
 Iohanni, qui dicit: Cum adhuc tenebræ essent, ue-  
 nit Maria Magdalene ad monumentum. Vbi dicen- Irh. 20.  
 dum est, quia propter magnitudinem amoris Ma-  
 ria Magdalene primum sola, cum adhuc tenebræ  
 essent, ad monumentum uenit, sicut Iohannes nar-  
 rat: postea uero cum duabus eiusdem nominis fe-  
 minis iterum orto sole, sicut Marcus commemo-  
 rat. ¶ Est tamen & alia ratio, per quam nihil contra-  
 rium inter se euangelistæ sensisse cognoscuntur.  
 Quotidie enim oculis cernimus, quod crepusculo  
 diei appropinquante, cum sol concavas terrarum  
 partes relinquens, radios sue lucis aperire cœperit,  
 ita fit lux in oriente, ut non desint tenebræ in occi-  
 dente. Igitur si partes orientis considerauerimus,  
 nihil contrarium uidetur dixisse Marcus cum ait,  
 orto iam sole: si partes occidentis, non uidetur dis-  
 sonum quod dicit Iohannes, cum adhuc tenebræ  
 essent. ¶ Forte queritur, quare Iohannes unam tan-  
 tum modo nominans, angelos uidisse asserat, cum  
 Marcus tres scribat. Ad quod dicendum, quia (ut  
 diximus) uel prius uenit Maria Magdalene, & post  
 ea iterum cum alijs uel tres simul uenerunt, & Ioh-  
 annes unam nominans, alias uenisse negauit.  
 ¶ Iuxta uero spiritalem intelligentiam, tenebræ in  
 cordibus mulierum erant, quando deum uelut mor-  
 tuum quærebant inter mortuos. Ortus est eis sol,  
 quando auditam ab eis resurrectionem credide-  
 runt. solis enim nomine in scripturis, aliquando do-  
 minus Iesus Christus intelligitur, sicut scriptum est:  
 Sol cognouit occasum suum, id est, Christus passio- Psal. 103  
 nem. Et iterum: Vobis qui timetis dñm, orietur sol Matt. 4  
 iustitiæ, & sanitas in pennis eius. ¶ Quod autem ait,



8 IN DIE SANCTO

una sabbatorum, primā sabbati intelligere debe-  
 mus, id est, primum diem post sabbatum quā ob  
 honorem & reuerētiam dominicæ resurrectiōis,  
 dominicam nominamus. Sicut em̄ nos primam fe-  
 riam, secundam feriam, tertiam feriam, & ceteros  
 per ordinem dies dicimus, sic Iudæi primam sabba-  
 ti, secundā sabbati, tertiam sabbati nominabant.  
 Et sicut Cantica canticorum, & sancta sanctorum,  
 pro sui magnitudine in scripturis dicuntur, sic iste  
 dies sabbatum sabbatorum propter gloriā resurre-  
 ctiōis dominicæ dici potest. Hęc aut̄ dies & una est  
 de septē, & extra seprē. In hac em̄, hebdomada ex  
 ordiū sumit, & terminū accipit. Sic enī est prima,  
 ut sit tertia: & sic tertia, ut etiam sit octaua. prima  
 quidem, in conditione: tertia, in resurrectiōe: octa-  
 ua, in reuolutiōe. ¶ Qui ergo in hac die resurgere  
 dignatus est, octonarium numerum ad resurrecti-  
 onem pertinere monstrauit. Resurrexit in ipsa, ut  
 ostenderet humanum genus in octaua ætate secu-  
 li resurrecturū. Vnde per Salomonem dicitur: Da  
 partes septē, necnon & octo. Sicut enim septima  
 die deus ab operib⁹ suis requieuit, sic septima ætas  
 dicitur requies sanctorum, cum animæ absq; cor-  
 poribus sunt in requie. Octaua autem ætate acci-  
 piēt ipsæ corpus, & erunt in requie. In cuius typo  
 uel figura, octo aīæ in arca salutis factæ sunt Nox.  
 Hęc est enim illa dies, de qua dicitur: Hęc est di-  
 es quā fecit dominus, exultemus & letemur in ea.  
 [Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis  
 lapidem ab ostio monumenti.] Mathæus euan-  
 gelista dicit, q̄ cum Ioseph sepelisset dominū in  
 sepulchro suo nouo aduoluit ad ostium monumē-  
 ti saxum magnū, & abiit, Iudæis signantibus ipsam

Eccēs. 11

Psal. 117

Mat. 27.

cum custodibus. Ergo istæ mulieres uenientes sepulchrum domini uisitare, & sexus sui fragilitatē cōsiderantes, & magnitudinem lapidis recolētes, qui tam magnus fuisse fertur, ut uix a uiginti hominibus moueri posset, dicebant: Quis reuoluet nobis lapidē ab ostio monumētī? Sed quamuis talia dicerent, non tñ a cōcepto itinere cessabant, credentes diuinitus fieri possibile, quod humanæ fragilitati uidebatur impossibile. Quæ mulierū cōstantia in libris Regū pulchre præfigurata est, quā Allohili ar cam domini captam in terrā Israel remittentes, iunxerūt duas uaccas foetas ad plaustrū, uitulosq; earū recluserunt domi. Et sicut scriptū est, Ibant uaccæ in directum, per uiam quæ ducit Bethsamis per gentes, & mugientes, nec tamen ad dexteram uel ad sinistram declinantes. Ita & hæ mulieres pergentes dominicum sepulchrum inuisere, quasi mugientes & gemētes dicebāt. Quis reuoluet nobis lapidem &c. nec tamen propter sexus fragilitatem, nec propter magnitudinem lapidis, nec propter metū custodum, a cōcepto itinere declinabant. ¶ Imitemur igitur & nos hæ cōstantiam mulierū, ut per uiam dei ambulātes, nec propter tērationem dæmonum, nec propter metum hominum, nec propter curam parentum, a recto itinere deuiemus: quia inchoantibus præmiū pro-  
 mittitur, sed perseverantibus datur, domino dicē & 24.  
 te: Qui perseverauerit usq; in finē hic saluus erit. [Et respicientes, uiderunt reuolutū lapidē.] Quæ  
 liter uel quomodo reuolutio lapidis facta sit, alius euāgelista, Matthæus scilicet, declarat, dicens: An-  
 gelus quippe domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidē, & sedebat super eum. Re-

1. Re. 6

Mat. 10.

&amp; 24.

Mat. 28

uoluit ergo angelus lapidem, & non ut egressuro domino uiam panderet, sed ut egressus eius indicium omnibus daret, id est, ut omnes eum a mortuis resurrexisse crederent. Non enim indiguit in resurrectione auxilio angelorum, qui propria uirtute claustra dissipauit inferos. [Erat quippe magnus ualde.] Spiritu ualiter lapis iste ad ostiū monumenti postus, ipsam obligationē designat inferorum, qua etiam iusti per prauaricationē primi reatus tenebatur obnoxij. Qui magnas ualde fuisse dicitur, quia obligatio originalis peccati in tantū dura & insolubilis fuit, ut nullus tā iustus fuisse legatur, quod se a liosq; ab ea liberare posset, quoad uel ille uenit, quod factus est inter mortuos liber. Sed dñs Iesus Christus, quod est magni cōsiliū angelus, ab ostio monumenti lapidē reuoluit: quia hodierna die a mortuis resurgēs, Cherubī & flammeū gladiū atq; uersatīlē, a nia paradisi remouit. Vnde scriptū ē: Tollite portas principes uestras, & eleuamini, pte eter nales, & introibit rex glorię. Nec solū ipse a mortuis reuixit, sed etiā oēs aīas iustorū de inferni claustris liberauit, impleta pphetia Osee, qui ait: Ero mors tua o mors, ero morsus tuus inferne. Et dñs: Si exaltatus fuero a terra, oīa traham ad me ipsum. Cuius singularē uirtutē resurrectionis Sāson ille fortissim⁹ pfigurauit, de quō in libro Iudicū legimus, quia cū Gazā ciuitatem fuisset ingressus ad meretricē, audiētes Philistei eius introitū, ciuitatē mauerūt, custodesq; depurauerūt & quasi tā se cū habere cōprehēsum gauisi sunt. Sed quod fecerit Sāson audiam⁹. Nō solū media nocte exiit, sed etiā utraq; que portas ciuitatis cum postibus proprijs humeris in montem tulit, custodesq; inanes & illusos re

**Isa. 9.**

**Psal. 23.**

**Ose. 13.**

**Ioh. 12.**

**Iud. 16.**

liquit. Quæ Samson ille fortissimus significauit,  
 nisi dominum Iesum Christum, de quo scriptum est:  
 Dominus fortis & potens, dñs potens in prælio. **Psal. 23**  
 Cū ergo fuisset in ciuitatē ingressus, adamauit mu-  
 lierem meretricē, id est, Christus ecclesiā, quæ post  
 idolorū culturā ad fidē Christi uocata est. Quid  
 Gaza ciuitas, nisi infernū: quid Philistæi, nisi Iude-  
 os designat? Quæ Samson e cogō Gazā ciuitatē ingres-  
 so, Philistæi lætabantur: quia Iudei sepulco dño, &  
 ad inferni claustra descendente, lætati sunt, putan-  
 tes nomen eius se habere extinctum. Sed quid Sam-  
 son noster, scilicet dominus Iesus Christus, fecit?  
 Non solum liber exiit, sed etiam portas tulit: quia  
 non solum ipse ab inferis liber exiit, sed etiā omnes  
 animas iustorum de inferno liberauit, & ad mon-  
 tana (id est, ad celestia) reuocauit. Cui per prophe-  
 tam Zachariam dicitur: Tu quoq; in sanguine te- **Zach. 9**  
 stamenti tui eduxisti ninetos tuos de lacu, in quo  
 non erat aqua. Et ne aliquis de resurrectione du-  
 bitaret, etiā aliquantos corpore resuscitauit: quia  
 (sicut scriptum est) multa corpora sanctorum, qui **Mat. 27**  
 dormierant, surrexerunt. [Et introcuntes in mo-  
 numentum.] Postquam deuotæ mulieres lapidem  
 ab ostio monumenti reuolutum uiderunt, sine ul-  
 la tarditate in ipsam introierūt. Sed forte mouet  
 aliquos, qui tantum consueta monumenta consi-  
 derant, quomodo sepulchrum domini ædificatū  
 fuerit, quod tot mulieres una cum angelis capere  
 posset. Ad quod respondendum, quia sicut illi te-  
 stati sunt, qui hoc uiderunt, & scriptū ad nostram  
 memoriā reliquerunt, tali modo ædificatum  
 fuit. Erat enim lapis magn⁹ in horto guttulis pur-  
 pureis intinctus, colore candido resurgens, in cui-

us latere erat sepulchrū excisum, tantæ magnitudi-  
 nis, ut octo uel nouē homines capere posset: &  
 tantæ altitudinis, ut quisq; in eius pauimento stās:  
 erecta manu culmē pertingere posset. In cuius aq-  
 lonari parte sepulchrū domini excisum est, septē  
 pedes & medium (ut dicunt) habens longitudinis,  
 & tres palmas & mediam latitudinis. Ostium ue-  
 ro speluncæ, patulum est ad oriētē, unde intro-  
 euntibus locus dominici corporis in dexteris habe-  
 tur: quia dominicum corpus ita in monumēto ia-  
 cuit, ut caput illius ad occidentē, & pedes ad ori-  
 entē respicerēt: dextera quoq; manus ad meridiē,  
 sinistra ad apilonem. Ex quo tempore consuetu-  
 do excreuit, Christianorū corpora ad hanc simili-  
 tudinē sepeliri. ¶ Et recte in tali loco dominus sepul-  
 turam suā elegit, ubi nulla possibilitas effodiendi  
 esset, quatenus omnem occasionem calumniā-  
 di Iudæis auferret: ne forte, si maceria uel quoli-  
 bet pariete circūclusus esset, dicerent ipsum disci-  
 pulos ipsius furatos fuisse. ¶ Post ascensionē dñi &  
 resurrectionē, Christiani zelo diuini amoris eccle-  
 siam in eodem loco rotundam miræ magnitudi-  
 nis ædificauerunt, cuius pauimentum ex marmo-  
 re albo strauerūt, tectum autem laminis aureis de-  
 super ornauerunt, interiora autem parietum cru-  
 sculis aureis decorauerunt. Super sepulchrum au-  
 tem crucem aurēā mirę pulchritudinis statuerūt,  
 appendentes ante eam pharum a genteum cum  
 lampadibus. In tantum nanq; sepulchrū domini,  
 mirabile factum est, ut etiā prophetia Isaia iuxta  
 literam impleretur, dicētis: In die illa radix Iesse,  
 qui stat in signum populorū ipsum gentes depre-  
 cabuntur. & erit sepulchrum eius gloriosum [ Vi-

Isa. ii.

derunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum  
 stola candida. ] Iohannes euangelista dicit, quod **Iohā. 20**  
 respiciens Maria Magdalene in monumentum, ui  
 dit duos angelos in albis sedētes, unum ad caput,  
 & unum ad pedes; ubi positum fuerat corpus Iesu.  
 ¶ In quo loco cōsiderandum est, q̄ pulchre utraq̄  
 domini natura, diuina pariter humana, nobis con  
 mēdatur: per caput nanq̄ diuinitas designatur, sic **1. Co. 12**  
 ut Apostolus ait, Caput Christi deus, per pedes, ue  
 ro humanitas, unde Moyses dicit: Et q̄ appropin  
 quāt ad pedes eius, accipiet de doctrina eius. Qua **Deu. 33**  
 si ergo angelus ad caput sedet, cum Iohannes cla  
 mat, In principio erat uerbū, & uerbum erat apud **Iohā. 1**  
 deum, & deus erat uerbum. Quasi ad pedes, cum  
 idem euangelista ait, Et uerbum caro factum est, **Ibidem.**  
 & habitauit in nobis. ¶ Marcus autē eundē ange  
 lum in dextris sedisse describit, ut dominū de mor  
 talitate ad immortalitatem transisse insinuet. Sic  
 ut enim per sinistram præsens uita, sic & per dexte  
 ram futuræ uitæ immortalitas designatur, teste Sa  
 lomone, qui ait, Læua eius sub capite meo, & dex  
 tera illi amplexabitur me. Et recte testis eius  
 resurrectionis angelus in dextris apparuit, ut ostē  
 deret cum de corruptione ad incorruptionem, de  
 mortalitate ad immortalitatem trāsisse. quia sicut  
 ait Apostolus, Christus resurgens a mortuis, iā nō  
 moritur, & mors illi ultra non dominabitur. Et **Rom. 6**  
 iterum Etsi nouimus Christum secundū carnem,  
 sed iam nunc non nouimus. ¶ Et ut inimicum hu  
 mani generis perfecte a dño superatū declararet,  
 non stans, sed sedens angelus apparere uoluit. Sta  
 re em̄ pugnantis est, sedere regnantis, siue iudican  
 tis. Sedet em̄ rex in throno gloriæ suæ, miles autē

post uictoriam gessit. ¶ Quia ergo dominus caput antiqui serpentis contriuerat, omnesq; electos dei de eius potestate liberauerat, recte testis resurrectionis eius, non stans sed sedens (ut dictum est) apparuit. Qui etiam bene stola candida coopertus apparuit, ut ineffabile gaudium dominicæ resurrectionis in ipso habitu demonstraret. Cum enim in ueteri testamento sæpissimæ ab hominibus angeli uisi legantur, non facile reperies quenquam stola candida indutum apparuisse, quia hoc priuilegium dominicæ resurrectioni seruabatur. Et quia consuetudo est Palæstinis dies festos celebrantibus, ut alba uestimenta induant, cum angelus stola candida indutus apparuit, festiuitatem dominicæ resurrectionis se celebrare ostendit. ¶ Vbi si quis querat, utrum suam, an nostram, intelligere possit, & suam, & nostram. Domini enim resurrectio, festiuitas angelorum fuit: quoniam numerus eorum, qui retrogradus per apostatam angelum imminutus fuerat, ex animabus fidelium adimpleretur. Nostra festiuitas est, quia de perditione nos liberans, ad societatem angelorum reuocauit. ¶ In sua igitur festiuitate & in nostra angelus in candidis uestibus apparuit, ut ineffabile gaudium huius festiuitatis ostenderet.

**Luc. 15:** Si ergo gaudium est in celo coram angelis super uno peccatore penitentiam agente, quale putamus gaudium fuisse, quando tot millia animarum sanctarum ad suum consortium transire uiderunt?

**Psal. 117** Hæc est namq; dies quam fecit dominus exultemus & lætemur in ea. [Et obstupuerunt.] Consuetudo mortalium est, ut cum aliquid super se uiderint, infra se pertimescant. Ex eo enim tempore,

quo primus homo a consortio angelorum peccando discessit, in tantam dilapsi sumus miseriam, ut supernos ciues sine metu uidere non possimus. Et ideo sancte mulieres, non solum quia angelum uiderunt coopertum stola candida, obituerunt: sed etiam, quia uacuum monumenti locum conspexerunt. Nam idem ipse angelus testis dominicæ resurrectionis in tali specie apparuit, ut ex ipsa sua uisione, & terrorē reprobis, & blandimentum pijs mentibus exhiberet. Quod Mattheus euangelista manifestat, dicens: [Erat aspectus eius sicut fulgur, uestimenta eius sicut nix.] In fulgure etenim timoris terror, in niue blandimentum lenitatis ostēditur. Quia ergo in fulgure uultu & in niue candore angelus apparuit, ostēdit, quia dominus Iesus Christus, qui est angelus magni consilij dictus, in ultima & generali resurrectione, & terribilis reprobis, & blandus apparebit iustis. Quasi enim in fulgure o uultu apparerit illis, quibus dicturus est: *Discedite a me male dicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Quasi in niueo candore illis, quibus dicet: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi.* Hanc descriptionē ostēdit angelus testis dominicæ resurrectionis, quādo prę timore illius exterriti sunt custodes, & facti sunt uelut mortui: mulieres autē, ne timerent, p̄tinē blandā cōsolationē acceperunt. Vnde subditur. [Qui dicit illis: Nolite expauescere.] Ac si diceret *Pauēat illi, q̄ sup̄ nouū ciuiū aduētū nō diligunt: p̄timeſcāt illi, q̄ sepulchrū dñi maligno animo custodiunt. Vos autē timere nō debetis, q̄ cōciues uestros conspicitis. Et quare mu*

Mat. 26.

Mat. 26.

Ibidem.



lieres timere non deberent, causam protinus demonstrat, cū subiungit [Iesum quæritis.]. Iesum Hebræo sermone, Latine saluator, siue salutaris dicitur. Ac si diceret: Quæ saluatorē quæritis, saluatoris nuncium non debetis timere, sed magis diligere. Et ne forte de alio aliquo Iesu dici putaretur, subiunxit: [Nazarenus.] Nazarenus dicitur est dñs, eo quod in ciuitate Nazareth sit cōceptus atq; nutritus. Sed quia Nazareus sanctus interpretatur, recte hoc nomen specialiter illi cōgruit, qui est sanctus sanctorum, & rex regū, atq; dominus dominantium. De quo per Prophetā dicitur: Non dabis sanctū tuum uidere corruptionē. Et ne aliq; in Nazareth tali nomine uocaretur, adiūxit: [Crucifixum.] Crucifixus est pro nobis, ut per lignum sanctæ crucis, lignum præuaricationis excluderet. [Surrexit.] Surrexit per humanitatem, qui nullū casum patitur in diuinitate. Et ideo resurgere uoluit, qui nunquā cecidit, ut ille erigeretur, qui stare noluit. Quod autem ait, [Non est hic,] de p̄sentia corporali dixit: quia per diuinitatis potentiam ubiq; est totus, ubiq; est p̄sens, sicut ipse ait per Prophetam: Cælum & terram ego impleo. Et ut omnem dubitationē a cordibus eorum expelleret a dicit: [Ecce locus, ubi posuerūt eum.] Ac si diceret: Si meis non creditis uerbis, saltē uacuo credite sepulchro, & omnem dubitationem a cordibus uestris repellite. [Sed ite, dicite discipulis eius. & Petro.] Cōsiderāda est in hoc loco specialis domini misericordia erga sexū fœmineum. Ne cū mulier semper in opprobriū haberetur, quia fœmina prima uiro, p̄pinauerat mortem, per fœminas primum uiris suā uoluit nunciare resurre-

**Pfal. 15.**

**Iere. 33.**

tionem. Ac si diceretur hominibus: De cuius manu sumpsistis pocula mortis, ab eius ore audite gaudium resurrectionis. Sed quærendum est, quare discipulis nominatis, Petrus ex nomine designetur. Ait enim angelus: [Dicite discipulis eius, & Petro.] Ad quod dicendum, quia sicut euangelica narrat historia, cum pergeret dominus ad passionem, Petrus pauore perterritus, ter eum negauerat: & fortassis inter ceteros discipulos ad uidentium dominum, post domini resurrectionem accedere non auderet, nisi eum angelus ex nomine exprimeret. Vocatur ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione. Forte etiam mouet aliquem, quare dominus tam dilectum discipulum, in tam graue facinus cadere permisit, ut dominum ac magistrum suum ad uocem unius ancillæ negaret. Sciendum autem, quia prouidentissima dispensatione domini hoc factum est, ut quem cunctæ ecclesiæ præferre disposuerat, semetipsum negare permitteret, ut ex sua fragilitate disceret, alijs peccantibus qualiter misereri debuisset. Primum ergo sibi eum ostendit, & tunc cæteris præposuit, ut intelligeret, quod distinctionem uitæ, compassionem deberet naturæ, sicut ei alibi a domino dicitur: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Quod autem ait, [Quia præcedet uos in Galilæam,] ibi eum uidebitis sicut dixit uobis, id ipsum est, quod pergens ad passionem dixerat, Postquam autem surrexero, præcedam uos in Galilæam. Et pulchre dominus post resurrectionem a discipulis in Galilæa uidentibus prædicitur, quia iam de corruptione ad incorruptionem, de mortalitate ad immortalitatem transierat. Galilæa namque, transmigratio facta in-

B

Luc. 22.

Mat. 26.

terpretatur. Quia ergo de corruptiōe ad incorru-  
 ptionem, de mortalitate ad immortalitatem transf-  
 it, recte in Galilæa uidendus dicitur: quia sicut ait  
 1. Pe. 3. apostolus Petrus, Christus semel pro peccatis nos-  
 tris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret  
 2. Co. 13. deo. Et iterum: Si autem mortuus est ex infirmita-  
 te, uiuit tamen ex uirtute dei. ¶ Siue iuxta aliam in-  
 telligentiam Galilæa, quæ uolubitas siue rota in-  
 terpretatur, gentile populū significat. Cum ergo  
 in Galilæa uidendus prædicitur, ostendit Indæos  
 propter perfidiam esse reliquendos, gentes autem p-  
 fidem colligendas, quæ ante dñi aduentum nescientes  
 deū, in uolubilitate seculi morabatur. ¶ Siue aliter  
 post resurrectionē in Galilæa uidendus nunciatur,  
 quia illi ad speciem eius cōtemplandam puenire me-  
 rebuntur, quæ modo transmigrant de uitijs ad uirtu-  
 tes, de amore mundi ad amorem dei, declinantes a  
 malo, & facientes bonum. Vnde bene Galilæa (iu-  
 xta aliam interpretationem) reuelatio dicitur: quia  
 quod nunc uidemus in spe, tunc reuelata facie ui-  
 3. Co. 13. debimus in re. Vnde Apostolus ait: Videmus nunc  
 per speculum in enigmate, tunc autem facie ad fa-  
 ciem. Et iterum: Nos autem fratres reuelata facie  
 2. Co. 3. gloriam domini contemplant, transformamur  
 a claritate in gloriam, tanquam a domini spiri-  
 tu. Ad quam uisionem ille nos perducere digne-  
 tur, qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat  
 in secula seculorum, Amen.

FERIA SECUNDA PA  
 schæ. Actuum X.

In diebus illis Stans Petrus in medio ple-